







12

10

3


DISSERTATIO IVRIDICA  
PRIMA

DE 1752, 3

VOCIBVS  
IVRISDICTIONIS

179

ET  
IMPERII IN GENERE;




QVAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE,  
PRAESIDE

FRIDERICO GOTHOFREDO  
L. A. F. SCHLEGTENDAL  
I. V. D.

PVBLICE DEFENDET

PETRVS IOANNES SCHMITZ  
NEOMAGI - BATAVVS.

AD DIEM I. M. AVGVSTI MDCCLII.  
H. L. Q. S.



TEVTOBVRGI AD RHENVM  
TYPIS IOH. SEBAST. STRAVBII, ACAD. TYP.









NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMISQVE  
VIRIS AC DOMINIS

D<sup>NO</sup>. CHRIST. GVILIELMO  
VAN BENTHEM

I. V. D.

CIVITATIS NEOMAGENSIS VIRO SENATORIO  
AC CONSVLARI PERQVAM STRENVO,

EIVSDEMQUE NOMINE

AD PERILLVSTRIVM AC PRAEPOTENTIVM  
FOEDERATI BELGII

CONCESSVM DELEGATO,

VT ET

ACADEMIAE DVCATVS GELRIAE ET COMITATVS  
ZVTPHANIAE, QVAE FLORET HARDEROVICI,  
CVRATORI PEREXIMIO,

RELIQVA.

NEC NON

D<sup>NO</sup>. IVSTINO DE BEYER

I. V. D.

DOMINO DE HVLSSEN,  
CIVITATIS NEOMAGENSIS VIRO SENATORIO  
AC CONSVLARI SPLENDIDISSIMO,

AC

AMPLISSIMI SENATVS CANONICORVM CATHEDRA-  
LIVM ST. MARIAE, QVI EST VLTRAIECTI, ASSESSORI  
MERITISSIMO,

RELIQVA.



DOMINIS SVIS,  
PATRONIS AC FAVORIBVS  
AD ROGVM VSQVE COLENDIS

IN  
OBSERVANTIAE DEBITIQVE HONORIS  
SYMBOLVM

ET  
OPTIMAM SVI COMMENDATIONEM

CVM  
SANCTISSIMO OMNIGENAE FELICITATIS, CRESCENDAE  
ACCRESCENDAEQVE  
VOTO

SVBMISSA MENTE, AC DEVOTISSIMO,  
QVO DECET, PECTORE  
HASCE IN IVRISPRVDENTIA PRIMITIAS  
DAT, OFFERT, ATQVE CONSECRAT

SVBIECTISSIMVS SERVVS

PETRVS IOANNES SCHMITZ  
DEFENDENS  
NEOMAGI - BATAVVS.

§. I.





§. I.



Cum Ius Ciuile testante Paulo in *L. XI. D. de Iust. et Iur.* dicatur id quod *omnibus aut pluribus in ciuitate est vtile*: hinc recte omnino Noodt de *De Iurisd. et Imp. Lib. I. Cap. 1.* statuit, Ius dicere nihil aliud esse, quam hoc ipsum, omnibus aut pluribus in ciuitate vtile pronunciare. Atque hinc haec vox eodem monente sua ipsius vi continet et causae cognitionem, et sententiae lationem, et eius exsecutionem: cum sententiam ferendo demum hoc pronunciet iudicans, id autem fieri nequeat, nisi causa cognita inquisuerit, quid plerisque in hac specie sit vtilissimum; et frustra profus fiat, si haec pronuntiata neglecta exsecutione suo careant effectū. Dicemus itaque cum Noodt d. *L. Iurisdictionem* esse notionem cum discernendi et exsequendi

A

di



di potestate magistratui competentem. Quam definitionem eo rectius ex *d. L. XI.* elicere poterimus; quod in hoc textu ipso varia de Iurisdictione recensentur. Haec de re ipsa. Si vocem spectes, atque simul perpendas, ius a iubendo deriuari: Ius dicere erit, aliis iussa summae sc. potestatis enunciare.

§. II.

Imperium proprie viderur et vocabuli natura et scriptorum testimoniis denotare summam populi hoc loco Romani potestatem, immo totam hanc Rempublicam; quo sensu Liuius *Lib. I. cap. 33.* dicit sub Anco Martio Imperium ad mare esse prolatum, et de capite humano in fundamentis Capitoli, regnante Tarquinio Superbo, reperto affirmat magnitudinem Imperii portendisse, immo censum rem tanto Imperio saluberrimam vocat. Summam autem populi potestatem denotat, quando Tullo Rege Albani cum Romanis de Imperio pugnare dicuntur, quod ideo seruitio opponitur, apud Liuium *Lib. I.* et alibi passim. Tribuitur tamen etiam summis magistratibus in Vrbe et in provinciis Imperium, quasi hi magistratus quandam eius partem a populo sibi demandatam teneant. Sic Seruio Tullio Imperium tribuitur ab eodem Liuius *Lib. I. cap. 48.* immo hoc ipsum *cap. 56.* *summum* ab Apolline Delphico siue Regium siue Consulare spectet, appellatur. Consulibus certe Idem *Lib. II. cap. 28.* expresse tribuit Imperium. Et hoc quidem in Vrbe. In exercitum sibi competere Imperium, expressis verbis affirmat Seuerus ille Consul T. Manlius, apud Liuium *Lib. VIII. cap. 7.* Praeter Consulem Praetori quoque dari Imperium



perium, tum alii iuris nostri textus, tum praecipue  
*L. XI. D. de Iust. et Iure* satis indicant.

§. III.

Neque tamen praeter maiores magistratus etiam  
 aliis. v. g. minoribus et municipalibus Imperium tri-  
 bui videbis; immo hoc iis perspicue satis denegatur  
*L. XXXII. D. de Iniur.* Neque hoc sine ratione. Ni-  
 mis enim iis concessum videbitur, si summa potestas  
 concedatur: quae nec illis, qui proprie magistratus non  
 sunt, nec iis, quorum Resp. vt ita dicam, alteri sub-  
 iecta est, vnquam datur. Magistratum autem proprie  
 non esse nisi maiorem, atque ex hac causa Imperium  
 ei deberi defendit App. Claudius apud Liuium *Lib. II.*  
*cap. 56.* Atque hinc rectissime in *d. L. XXXII.* mino-  
 res magistratus sunt sine Imperio aut potestate, quae  
 tamen alias secundum *L. CCXV. D. de V. S.* omnium  
 vere magistratuum videntur propria. Videtur autem  
 hac in re Maiestati quodammodo simile Imperium.  
 Illa cum proprie solius sit Populi seu Imperantis *L. I.*  
*§. 1. ad L. Iul. Maieft. §. 3. I. de Publ. Iud.* tribuitur  
 tamen etiam summis magistratibus, qui reuera partem  
 eiusdem sustinent, *L. IX. D. de Iurisd.* immo quod  
 magis est hoc sensu Imperio iungitur *L. XI. D. de Iust.*  
*et Iure.* vid. Liuius *Lib. III. Cap. 6.* quo loco *Maie-*  
*stas Consularis Imperii* vocatur. Caetera cum haec tan-  
 tum rationem harum vocum erga torum populum re-  
 spiciant, nihil vetat, quominus cuius patris. in suam  
 familiam dari Imperium possit; aequae ac maiestatem  
 illi tribuit Liuius *Lib. VIII. Cap. 7.* Adeo tamen accu-  
 rati hic fuere, vt nulli fere nisi in iis locis, quibus prae-  
 fectus



fectus, Imperium tribuatur, vid. *L. ult. D. de Off. Proc.*  
Vnde etiam triumphare volentibus extra Urbem senatus dabatur; ne cum Imperio militari Urbem introirent.

§. IV.

Inter omnes magistratus Praetori specialiter demandata erat Iurisdictio. Eum in finem enim solum hic creatus est, ut in Vrbe ius diceret narrante Liviio *Lib. VI. Cap. ult.* Fuerat enim antea Iurisdictio pars Imperii Consularis teste Liviio *Lib. II. fere medio*, ubi App. Claudius Consul de pecuniis creditis Ius dicit. Immo in muniis Regum ab vxore Tarquini Tanaquil ita recensetur, quasi praecipuae fuerit dignationis apud eundem *Lib. I. qui Lib. III. cap. 33.* in officiis Decemvirorum solum *ius reddere* recenset.

§. V.

Quoniam itaque Praetoris sparta non fuit minima, immo Consulari fere aequiparata Liviio *Lib. VIII. cap. 32.* non est mirandum, si eadem his quae Consulibus concessa fuere. Atque inter ea quoque Imperium ipsis datum inuenimus in *L. XI. D. de Iust. et Iur. §. 2.* citata, aliisque textibus. Ac id recte omnino, quia Praetor certe inter maiores magistratus hac in parte populi maiestatem tuebatur. Atque hinc est, quod, ubi in Iure nostro vel ratione Praetoris et reliquorum magistratuum ius dicentium Imperii fit mentio, Iurisdictio fere semper denotetur.

§. VI.

Maxime tamen hic id observandum, quod §. 3. notauimus, quod sc. magistratibus minoribus nunquam vide-



videamus concedi Imperium. Tribuitur enim hoc tantum magistratibus tam vrbanis quam caeteris *L. CCXV. D. de V. S. et L. XII. §. 1. D. de Iudic.* atque hi sunt tam in Vrbe magistratus maiores, quam qui in prouinciis singulis horum loco sunt constituti. Caeteros enim ac nominatim minores in Vrbe magistratus non esse §. 2. vidimus. De magistratibus municipalibus eo minor erat dubitatio, quod hi nec populo libero praecessent. Ideoque iis Imperium, quod nec populo tali dari poterat, prorsus erat denegandum. Atque ad hos forsā praecipue respicit *L. XXXII. D. de iniur.* conf. *L. XXVI. D. ad Municip.*

§. VII.

Contra ea vocem Iurisdictionis etiam his tribui posse censuere. Quod non solum ex *d. L. XXVI.* colligi poterat: sed praeterea ex *municipali Iurisdictione*, quomodo in *L. XXIX. D. eod.* vocatur, erat certissimum. Neque sine ratione hanc inter magistratus vrbanos et municipales statuere differentiam. Quanta enim sit Imperii maiestas, quippe quod imperanti summam aliquam potestatem concedere videtur, §. 2. vidimus. Hoc adeoque magistratibus populi Romano subiecti non tribuitur; quoniam solus liber populus id sibi vindicare poterat, quo sensu quoque Albanis datur a *Liuiio Lib. I. cap. 22.* Iurisdictione vero optime magistratibus municipalibus dari poterat. Etsi enim, quod §. 4. ostendimus, haec quoque non in minima fuerit dignatione: vtique tamen dignitate Imperium haud aequabat; quia ius dicere reuera nihil aliud erat, quam iussa cuiuscunque imperantis pronunciare. Neque tamen



verbum id inferius maiestate magistratuum maiorum erat; quippe qui sui tantum populi iussa agnoscebant, eorumque ipsorum, sub libera Rep. re ipsa, sub Imperatoribus praesertim primis imagine quadam, ex parte erant auctores.

§. VIII.

Si haec ita se habent: apparet, omnia ea, quae Praetor et magistratus maiores vi quacunq[ue] magistratus faciunt, vocari posse et Iurisdictionem et Imperium. Quod per partes aliquas ostendere non erit inutile. Sic itaque in *L. III. D. de Iurisd. iudicis dandi licentia Iurisdictionis est*: quae tamen in *L. XII. §. 1. D. de Iud.* refertur ad *vim Imperii*. In *L. II. D. de adopt.* haec dicitur fieri *magistratus Imperio*: cum nihilominus in *L. II. D. de off. Proc.* non solum sit *Iurisdictionis voluntariae*; sed, quod magis est, *talis Iurisdictionis* Legato denegetur. Amplius in *L. XVI. §. ult. D. de min. magistratus pro sua Iurisdictione potest in integrum restituere*, quod ipsum in *L. XXVI. D. ad munic. magis Imperii* est. Tandem ne plura afferamus in *L. I. §. 9. D. de noui op. nunc. post noui operis nunciationem committunt se litigatores Praetoriae Iurisdictioni*: et hoc non obstante. *L. VII. §. 14. D. de pactis noui operis nunciationem exsequi*, Praetoris Imperio vindicatur. vid. et *L. VII. §. ult. et L. VIII. D. de off. Proc.* item *L. I. D. de Iurisd.*

§. IX.

Et si vero, quod ex tribus postremo allegatis capitibus licet colligere, magistratibus municipalibus multa tribuantur, quae alias ad Imperium pertinere dicuntur; nunquam tamen iis ipsum Imperium indulgetur;



getur; immo omnia, quae iis conceduntur, solo ad summum veniunt nomine Iurisdictionis.

§. X.

Atque haec inter maiores et minores magistratus ratione harum vocum differentia, aliam inter voces ipsas peperit. Cum enim magistratibus maioribus plurima concederentur, quae minoribus data haud essent, v. g. Iurisdictione de criminibus *L. XII. D. de Iurisd.* missio in possessionem aliaque *L. IV. D. eod.* iuncta *L. XXVI. D. ad munic.* ea videntur nonnulli per excellentiam vocitasse Imperium. Atque hinc voces meri et mixti Imperii esse deriuandas, est verosimile, quod ubi de singulis agetur, latius ostendendum. Hinc quoque explicandus Ulpianus in *L. VI. §. 2. D. de Tutel.* affirmans *Tutoris dationem neque Iurisdictionis neque Imperii esse.* vid. *L. I. D. de Iurisd.* et add. Noodt *de Iurisd. et Imp. Lib. I. cap. 1.* Atque hoc modo ea, quae sunt Imperii, opponuntur illis, quae sunt Iurisdictionis. Nam ita hoc sensu vocauerunt ea, quae etiam magistratibus municipalibus data sunt.

§. XI.

Minime tamen haec ita a se inuicem separata sunt: ut hac ratione semper inter has voces fuerit distinctum. Immo saepissime et recte illa, quae eadem significabant, omni tempore confundere. Sic enim primo ea, quae Imperii et quidem meri esse diceres, Iurisdictioni attribuerent. Falsi enim crimen, quod certe est meri Imperii Iurisdictioni attribuisse videtur Callistratus in *L. XXXI. D. ad L. Cornel. de fals.* conf. *L. II. §. 23. D. de O. I.* Tertullianum *ad Scapul. cap. IV.* aliaque recensita a Noodt *d. cap. I.* quibus addantur ea, quae §. 8. ad hunc scopum allegauimus. E contrario omnia, quae Iurisdictioni in specie



specie tribueres, Imperii etiam esse, ostendunt *L. XI. D. de Iust. et Iur. L. XII. D. de Iurisd.* quae maxime collata *L. I. D. eod.* eandem esse vtriusque significationem ostendunt.

§. XII.

Atque hinc nullo fere in loco has voces ipsas inter se distinctas sibi expresse opposuere. Locus ubi maxime opponuntur videtur esse *L. VI. §. 2. D. de tutel.* quod ibi eo magis necessarium erat, quod tutoris datio videri poterat vtriusque esse vid. *L. III. D. de tut. dat. ab his.* Attamen cum nullus esset aptior modus distinguendi inter Iura magistratuum maiorum et municipalium; et nihilominus dubitarent differentiam inter eas statuere accuratius loquentes; ea quae magis sunt Iurisdictionis quam Imperii a caeteris distinxere, atque illa magistratibus municipalibus expresse denegauere, vid. *L. IV. D. de Iurisd. collata L. XXVI. D. ad munic.* Haec vero speciatim hoc nomine insigniuere, quia pleraque etiam magistratibus his minoribus data fuerant, adeoque iis non data, quia pauciora, speciali nomine denotare, optimum duxere.

§. XIII.

Ratio autem huius denominationis videtur ea fuisse, quod, cum non possent dicere, sola haec solius Imperii esse; quia aequae haec Iurisdictioni ac alia Imperio tribui poterant: optime tamen, si ad personas respicias, dici poterat, haec magis esse Imperii quam Iurisdictionis; quia cum reliqua aliquando soli Iurisdictioni possent tribui, haec semper et Iurisdictioni et Imperio tribui potuerint. Adeoque cum reliqua magis essent Iurisdictionis; haec magis Iurisdictionis quam Imperii recte dici poterant.

T A N T V M.





## ADNEXA DEFENDENTIS.

I.

Vti nuptiae inter parentes et liberos Iure  
Naturali sunt prohibitae,

II.

Ita illae inter fratres et sorores licitae.

III.

Vti merum Imperium et Iurisdictio Cri-  
minalis,

IV.

Ita mixtum et Iurisdictio Ciuilibus eadem sunt.

V.

Transactio super causa controuersa ex vlti-  
mis voluntatibus, quarum tenor non  
est cognitus, valet.

VI.

Pater potest liberis exhereditatis tutorem dare.

VII.

Tutoris auctoritas perfecto negotio non  
recte accedit.

VIII.

A matre liberis pupillariter substitui non  
potest.

B

IX.





IX.

Vt ius accrescendi ipsum pertinet ad venditorem hereditatis,

X.


Ita emtor vi emtionis eam portionem, quae accreuit, potest petere.

XI.

Pignus traditione, hypotheca nudo pacto contrahitur.

XII.

Debitor facti ad factum non potest cogi.





Duisburg, Diss., 1729/81(1)


ULB Halle

3

004 527 070









DISSERTATIO IVRIDICA  
PRIMA

DE 1752, 3

VOCIBVS  
VRISDICTIONIS

ET  
IMPERII IN GENERE;


QVAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE,  
PRAESIDE

RIDERICO GOTHOFREDO  
L. A. F. SCHLEGTENDAL  
I. V. D.

PVBLICE DEFENDET  
ETRVS IOANNES SCHMITZ  
NEOMAGI - BATAVVS.  
AD DIEM I. M. AVGVSTI MDCCLII.  
H. L. Q. S.



TEVTOBVRGI AD RHENVM  
TYPIS IOH. SEBAST. STRAVBII, ACAD. TYP.



**B.I.G.**  
Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

**Farbkarte #13**

Inches  
Centimetres

